



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1656

§. 198. Et tradidit Iesum flagellis cæsum vt crucifigeretur: v. 15.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45533

spetus. Sed quid aio? superba mens nostra, suæ semper excellentiæ studio-
sior, hanc Philosophiam non capit: Postulet ergo humiliter à Deo & da-
bitur ei. Stimulo opus est: eum admitte. Quando Deus vnicuique suum lo-
cum & ordinem est daturus, tunc tanto maiori cum gloria, quanto maiori
cum ignominia hic tibi à mundo fuerat denegatus, illum restituet ille tibi
qui dicit: *Amice ascende superius.*

§. 198. *Et tradidit Iesum flagellis casum vt crucifigeretur: v. 15.*

Heu! Heu! Heu! quid audio? nequam dimittitur sine pœna liber, &
optimus in o virtus ipsa traditur in manus inimicorum eius ad flagella, ad
tormenta, in dè crucem latronibus tantum & sceleratis hominibus eo tem-
pore infligi solitam. Intellego feralem mortis acerbissimæ sententiam.
Quod si vnquam hominum improbitas & armata sceleribus nefandissi-
mis libido rabiem aliquam & execrandam in mundo crudelitatem exer-
cuit & sub fictæ gratitudinis prætextu perfidiæ monstrum peperit, ingrata
hodie accusanda certè est Iudæa, illa Orientis vniuersi gloria, Palæstina
decus. Princeps Prouinciarum, quæ posteaquam Dei filium & tot sæculis
Messiam expectatum, triginta tribus annis intra suos agros atque orbes
hospitio excepisset, scelerato animo in eius mortem conspirauit, & sub ob-
edientiæ simulatque obsequij larua in periculum illud & discrimen attra-
xit, vnde mortalium omnium salus esset euacuata: nisi Dei misericordia
per hoc ipsum parauisset remedium, per quod merebamur exitium.

ET iam te alloquor Pilate, Romanorum & iustitiæ præses, vbi nunc iu-
stitia tua, vbi fides, vbi præstitum Romanis fidelitatis & iustitiæ exer-
cendæ iuramentum: anne iniquum velle castigare & morti tradere quem
nosti innocentem, quem nosti ex inuidia tibi traditum? times homines ma-
gis offendere quam Deum & iustitiam eius? Verè satius tibi fuisset non fieri
tantæ Prouinciæ Iudicem, si non valebas virtute irumpere iniquitates.
Dire tibi hæc constabit pusillanimitas detestanda, qui nullam inueniens in
Christo causam, non tamen iuxta leges liberaisti eum, sed, vt occidatur,
misere tradidisti. O iudiciū iniquum, ô iniusta sententia, ô crudelis damna-
rio. O Iudex peruerse, iam dudum nullam in eo causam inuenisti, & nunc
eum morti adiudicas? iam iam iustum eum affirmabas, & nunc ad Crucis
eum mortem condemnas, paulo ante fatebaris, quod & bene noueras lu-
dæos odijs & inuidia stimulos eum tibi obtulisse, culpam omnem ab eo
abesse, & modo impijs hostium suorum manibus & crudelissimæ illorum
voluntati eum tradis ad mortem crucis? quid dicam? perdidisti omnem
honorem, veritatem iustitiam, & pro eo sempiternas incurristi pœnas.

§. 199.